



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna VII. Circumcisio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

O Mater DEI, mundissima hujus Domini habitatio, quæ multò magis eum fovisti interiùs, quàm potueris foris. O thesauraria istorum omnium; impetra mihi ab illo, quod petit à me: quia scis, me sine ipso non invenire salutem. O supernæ habitationes, ac domus cælestes, purissima corda, in quibus Deus quiescit! recordamini, vos etiam peregrinos fuisse: miseramini constitutos in periculo, & impetrate mihi à Domino, qui regnat in vobis, ut me quoque faciat sempiternum suum habitaculum. Amen.

Æ R V M N A VII.

Circumcisio.

I.



Oluit Christus Dominus noster multos dies transire post Nativitatem suam sine dolore & sanguine, quo dedit primitias ejus, quem copiosè quondam effusus erat, & Patri oblaturus pro nostro remedio.

Atque ita octavo die vitæ suæ, quo præceperat olim Deus Abrahamæ circumcidi omnes pueros, ei legi submitit se ipsum, cujus fuerat auctor. Multa erant, quibus eximeretur ab illa. 1. quia lata fuerat in protestationem Fidei Messiae venturi, quem exspectabat populus Israëliticus, per circumcisionem contestans, se vivere in Spe, Fide, & Amore Salvatoris venturi. Sicut igitur Christus erat ipse, qui exspectabatur, ita non habebat, cujus Fidem ac Spem profiteretur circumcisio. 2. Deus Abrahamo dedit hoc pro tessera & nota fœderis, quod inierat cum ipso, ut omnes posteri ejus, descendenti ab Isaac, essent populus DEI peculiaris, quem ipse ex omnibus gentibus elegerat pro populo suo, & à quo ipse haberetur pro Deo suo, ceteris ob idolomaniam rejectis. Cùm ergo Christus venisset ad vocandas sine discrimine omnes gentes totius mundi in unum ovile, & salvandos omnes, qui vivere & mori vellent in sua Fide & dilectione; non erat, cur susciperet notam ejus fœderis & contractus, quem velut ejus Auctor volebat laxare & immutare. 3. Per circumcisionem corporis Deus obligabat illos, ad amputandam duritiam cordis, & malas inclinationes,

Christus circumcissus

est

non vi Legis.

I

adversantes

adversantes amoris suo, & observantiæ mandatorum. Christus autem, cum esset infinitæ puritatis & perfectionis, non habebat in anima, quod amputaret, sed ipse purificaturus erat animas omnium: non igitur opus erat suscipere signum, quo obligaretur ad reformandum quidquam in sua persona. 4. Circumcisio Sacramentum erat Legis antiquæ, per quod profitendo Fidem ac Spem venturi Messia, liberabantur à peccato originali: ac proinde erat signum & remedium peccatorum. Christus autem, Bonum nostrum, quia Deus, & quia Homo peccatum habere non potuit, utpote ipse Auctor gratiæ & remissio peccatorum, Agnus DEI, qui tollit peccata mundi: quò longiùs igitur aberat ab omni peccatò, eò longiùs etiam aberat ab obligatione suscipiendi in se signum & remedium peccati. Imò nimia demissio erat, subire Legem, quæ mederetur malo tam alieno à sua divina Majestate, sicut est peccatum.

*sed in vi
amoris.*

II. Sed amor divinus, cui nulla res potest obstare, non duxit alienum, istà occasione prodere se & emicare, dum se rei, divinâ Majestate suâ tam indignæ, submitteret; quia tantò magis exserit suam vim & magnitudinem, quantò res est magis aliena, in qua suam operationem habet. Unde etiam Christus non pro magno habuit, ostendere suum amorem in operibus ac rebus sublimibus, sed multò magis ostendit eum in humilibus & abjectis, quibus se ipsum subiecit; non modò se faciendo Filium hominis, oriundi ab Adamo peccatore; sed etiam subeundo poenas & remedia, quibus expiantur peccata. Confundit Christus Dominus noster hoc modo quoddam genus superbiæ, sparsum in magna parte hominum, qui, cum non curent coram DEO committere peccata gravissima, maximè tamen curant, ne habeantur pro peccatoribus. Unde fit, ut sine ullo sensu vulnerum animæ (sicut ait S. Bernardus) erubescant admittere medicinam, quâ poterant sanari, ac sæpiùs eam omittant. Majorem partem ægrè agnoscimus nostra peccata; ægrius autem ferimus, haberi pro talibus, quales sumus reipsa, & acceptamus laudes humanas, ut videamur habere virtutes, quas non habemus, ac scimus, nos intus tales non esse, quales foris videmur. Hæ sunt absurditates illorum, qui amant
sua

*Et ut confundat
superbiam
volentium
haberi pro
iis, qui
sunt.*

sua vulnera, & non curant vera media, quibus possent sanari. Ideo Medicus & Magister noster hanc virulentam inclinationem humanam prorsus immutat; & cum, quidquid est in eo, sit vera, pura & essentialis sanitas ac salus, quæ sanat omnes, tegit ineffabilem perfectionem puritatis suæ divinæ & humanæ, & circumciditur tanquam peccator, & humiliatur, ut videatur esse, qui non est, assumitque remedium culpæ, quâ caret. Docet hoc palam, non posse confundi eum, qui habetur pro peccatore, cum non sit; nec honorari coram DEO, si non videatur esse peccator, cum sit.

III. Est verò, cur videamur plus debere Christo pro eo, *dum nihil quòd in Circumcisione acceperit pœnam ac formam peccatoris, admittit quàm cum idem aliàs fecit.* Nam in aliis actionibus ejus, & passionibus semper emicuit Majestas, quæ in eo latebat: at in Circumcisione nihil ejusmodi. Quando natus est lacrimans ac tremens præ frigore, sicut alii peccatores, Angeli, Pastores & Magi eum adoraverunt. Quando in templo est præsentatus ut peccator, *quo manifestatur ejus divinitas, sicut in aliis ejus perfectionibus.* Simeon & Anna prædicaverunt ejus Divinitatem. Quando baptizatus est in Jordane cum peccatoribus, vox de cælo Patris æterni, Spiritus sanctus in forma columbæ, & ipse Baptista testati sunt esse Filium DEI. Cum tentatus est in deserto, accesserunt Angeli & ministraverunt ei. Cum fatigatus sudaret, miracula demonstrabant ejus magnitudinem. Cum permisit se capi, unico verbo prostravit cohortem in terram. Cum in cruce pependit inter latrones, Sol, qui obscuratus est; Terra, quæ tremuit; Vox, quâ clamans exspiravit; Velum templi, quod scissum est; Centurio, qui eum confessus est, magnum testimonium perhibuerunt ejus Divinitati, ut, qui eum crucifixerant, abirent percutientes pectora sua, & confitentes eum fuisse Filium DEI: atque ita, dum videretur peccator, simul erat, quo manifestaretur ejus Majestas. In sola Circumcisione apparet sui oblitum; quia nullus ibi Angelus, nec Sol, neque miracula, quæ ostenderent alium esse, quàm videbatur. Tunc enim volebat explere delectationem, quam capiebat ex nostra similitudine, ut obligaret nos ad similitudinem sui, quem postea magis erat notum facturum. Unde licet postea majores dolores susce-

perit, non tamen minùs ei debemus pro isto, quem ita suscepit amore nostri, ut sui honoris planè immemor esset.

*Dolor circum-
cisionis
acerbior
Christo,
quàm aliis
infantibus.*

IV. Quamvis in Circumcisione aliud non esset, quàm dolor, vel ob hunc solùm Dominus eam suscepisset. Venerat enim in mundum tam avidus patiendi, ut agrè impetraret à se ipso, quin pateretur saltem idem, quod alii infantes, quandoquidem per ætatem plus non poterat. Et verò satis acerbum fuisse hunc dolorem necesse est, quòd lapideis cultris circumcisio fieret, sicut uxor Moyse fecit suis parvulis, ac Deus præcepit Josuæ, ut faceret totus populus, priusquam terram promissionis intraret, & quòd tertio die dicatur à Scriptura gravissimus fuisse horum vulnerum dolor. Et eum quidem infantes alii patiebantur ignari, per quod non parùm imminuebatur: sed hoc lenimentum in Christo non fuit; quia ætas non impediabat, ne sciret, quid ageretur; ac proinde plenè sentiebat dolorem hujus vulneris, & eodem amore tolerabat spargebátque tantillum sanguinis, quo postea omnem in Cruce profudit, quem habebat in venis.

*Primitia
sanguinis
Domini,*

V. DEUS in Lege præcepit offerri sibi primitias omnium fructuum terræ: & quia decreverat Filium suum nasci tam pauperem, ut nihil haberet proprium, nec ubi caput reclinaret; ut lex impleretur, voluit eum sibi offerre suum sacratissimum Sanguinem pro primitiis ejus; quod in terra longè plus frugis erat allaturum, quàm aliud quidlibet. Voluit ergo à nobis clarè agnosci magnitudinem amoris, qui nec tenerà ætate impeditur à patiando, nec morte finitur. Nam octavo die non sine magno dolore exegit primitias sanctissimi sanguinis, quem usque ad ultimam guttam erat sparsurus, latere etiam post mortem aperto. Hæc omnia fecit Christus pro his, qui infantiam in mera ignorantia transigunt, pueritiam in principiis omnis nequitiae, reliquam vitam in servitio corporis & aliarum rerum, quibus perimitur anima; à quibus demum in morte non alium fructum habent, quàm lacrimas, ac dolorem de vita peracta, in qua minimam partem habuit Deus, cui tota debita fuerat: ne dicam, pleramque omnem suæ Divinæ Majestati fuisse adversam. Qui haberet oculos apertos, videret hîc magnam causam erubescendi de negligentia usurpata

*oblata pro
caecis &
malis
initis vita
nostra.*

cum

cum Christo, qui nullam ætatem, imò nec diem vitæ suæ transmisit, quâ non occuparetur in nostra salute, ac demonstratione sui ingentis amoris. Quia à prima Nativitate, usque ad Ascensionem in cælum, aliud non egit, quàm ut communicaret suum amorem, tanta patiendò pro nobis.

VI. Non sine causa voluit Christus nostram Redemptionem tanti sibi constare, ut ab ortu vitæ usque ad obitum laboraret semper pro illa: voluit enim nos videre, quantò pluris eam faceret ipse, quàm alia omnia, quæ creaverat. Non plus expendit in creatione hominis, quàm formicæ; omnia fecit sola voluntate sua, sine alio dispendio vel cura; neque curâisset, si periissent alia omnia: pro solo homine, ne periret, Christus in se tantos labores suscepit, deditque pro illo tantum pretium, ne cogitaremus, eum vili pendere hanc suam creaturam, cujus creatio, si non stetit magno, certè redemptio maximo constitit. Ideo nos huic Domino S. Paulus ait obligatissimos, ut serviamus ei cunctis & animæ & corporis viribus; *empti enim estis, ait, pretio magno.* Verum quidem est, longè minus sufficere potuisse; sed quod redemptioni, non etiam satisfacisset ejus amor: quidquid expendit, necessarium fuit ad explendum amorem. Sed & illud reputandum est, quod S. Cyprianus animadvertit; ideo tanti nos fuisse redemptos à DEO, ne facilitas remissionis laxaret habenas peccatis. Tam enim sumus ad malum proclives, ut hoc totum fuerit necessarium ad cognoscendum pondus, & gravitatem peccati, à quo liberandi fuimus tam pretioso remedio. Et si nihilominus tam facilè & inconsideratè peccamus, quid egissemus, si DEUS non tantum laborasset & ostendisset, quantum id oderit, quantumque in eo sit mali? Videat ergo quisque, quo animo sit erga peccata, quæ tota vita sua sine sensu commisit effusè, cùm intelligit Redemptorem suum non peperisse sibi ab infantia, & ne in morte quidem satiatum patiendò pro nostra redemptione.

VII. Solebant infantibus in Circumcisione imponere nomen: ideo Christus etiam, ut initia responderent extremis, in sua carne voluit sanctissimum JESU nomen, (quod est Salvator) scribi sanguine suo, quem pro salute nostra omnem olim erat futurus.

*alia nomi-
na Christi.*

surus. Quamvis S. Bernardus velit, eum id nomen secum attulisse in mundum, & hodie non recens impositum, sed tantum vocatum, seu promulgatum fuisse: quia Christus est ipsa essentialis, & super substantialis salus, ac secum attulit nomen conforme illi, quod est. Sanè omnibus aliis dantur nomina impropria, quia non verè sunt id quod significant nomina; hæc enim sunt ampliora rebus quibus imponuntur. Nomina divitiarum, Thesauri, Majestatis, Magnitudinis, Celstutudinis, Imperii & alia excellens aliquid significantia, non propriè conveniunt rebus, quibus dantur, quia revera tales non sunt. Solus Christus est vera salus animarum nostrarum, qui ex natura sua ab æterno est id, quod nomen JESU importat, ac voluit proferri primo die, quo exiit pretiosus liquor sanguinis ejus è suo corpore, ut eo salvi fiamus ab omnibus infirmitatibus & plagis nostris.

VIII. Multa alia nomina Christi prædixit Isaias, ut Festina prædari, Emmanuel, Admirabilis, Consiliarius, Princeps pacis, Pater futuri sæculi & alia, quæ omnia includuntur in sanctissimo nomine JESU, ac sunt totidem declarationes ipsius. Quia ut verè esset JESUS, debuit esse alacer ad eripiendas animas è faucibus diaboli, peccati, cæcitatibus & omnis mali, per quod ruebant in exitium: debuit esse DEUS agens cum hominibus: Magister & Consiliarius admirandæ doctrinæ, quâ salvamur à nostris erroribus: debuit facere pacem inter cælum & terram: debuit esse Auctor & Pater vitæ æternæ, aperire januas cæli his, qui merentur ingredi: denique debuit regnum ejus durare in omnia futura secula: quæ omnia nomen JESU importat.

*Et nobis
magno est
honori.*

IX. In eligendo hoc nomine fecit Christus alium excessum amoris. Nam ut olim DEUS non alio nomine voluit agnosci, quam quòd sit DEUS Abraham, DEUS Isaac & DEUS Jacob, fidelium amicorum suorum, eomodo illos & posteros eorum honorans: ita Filius ejus videns defecisse in mundo amicos, nomen assumpsit ab inimicis, quos in amicitiam suam pertrahere & salvare volebat. Et ut prius paucos illos servos honorare dignatus est, accipiendo cognomen ab illis; ita nunc sacratissimo nomine JESU voluit honorare omnes, quamvis magnos peccatores, quos venerat salvare,
& reci-

& recipere in amicos, nominando se Salvatorem illorum. Ut jam neque Moyſes gloriari poſſit, quaſi ſolus eſſet amicus DEI, quòd viderit eum à facie ad faciem: neque Patriarchæ illi, quòd cum DEO egerint familiariter: majore nos peccatores favore dignatus eſt DEUS, qui in noſtra forma tanquam peccator vixit, & mortuus eſt inter peccatores, & in celo & in terra voluit nominari noſter Salvator: fecitque, ut nomen hoc ſit inferno terribile, glorioſum in mundo, adoratum in celo, juſtis oblectationi, peccatoribus ſaluti; in periculis ſecuritas, in requie jucunditas, in neceſſitate remedium, in peregrinatione ſpes, in frigore fomentum, in timore animatio, in mœrore lætitia, bonorum fons, malorum liberatio.

E X E R C I T I U M

Circæ Circumſionem.

I.

VENIT, ô bone JEſu, amor animæ meæ! prima hora tui deſiderii, ut fundas in ea ſanguinem pro peccatoribus. *Ardor amoris Chriſti,* Oſtende mihi, amor mi, hoc cor, hunc ignem, quem pateris; hanc anxietatem, qua exſpectas hos primos dolores, tolerandos pro nobis. Tantum tibi debeo, Domine, pro amore & voluptate, qua id facis, quantum pro ipſo opere & gratiâ, quam mihi facis. Quis eſt ſicut tu Deus amoris? quis te tanto amore mei ſuccendit? O ſi cor meum ad te veniret tam ardens, quàm video te venire ad me. Ego, *Tepiditate noſtra,* Domine, ſemper ſum tardus ac negligens: & tibi vero amico meo, octo dies videntur multi anni, præ deſiderio, quod habes patiendi pro me dolorem Circumſionis, ut mihi des primitias tui Sanguinis; meque trahas ad te, non per vim, legem, aut minas: & cum, Dominus meus & ſapientia Divina, non tenearis lege, te ſubjicis illi; quia eſt lex aliquid patiendi: ut oſtendas legem amoris, quâ teneris obſtrictus pro peccatoribus.

II. Conſicere, cor meum, amore hujus Domini: pandere, ac recipe illum in intima penetralia animæ. O mi dulcis amor! O ſecura & perfecta amicitia mea, tu non invenis difficultatem in demonſtrando mihi tuo amore: non te impedit tenera ætas,

NON

non infinita Majestas, nec austeritas legis, cui subjectus non es: sed quantò liberior es, ac Dominus absolutus, tantò ampliùs te submittis ad ostendendum amorem. Et ille est, quem habes pro lege faciendi quidvis pro meo remedio. Tu, mi bone Jesu, omnia facis, quia amas; pateris, quia amas; & amas, quia amas. Et, ô Jesu, quis est ille, quem amas? Amas me, in quo nihil invenitur dignum amore, nisi quòd mea peccata dent tibi occasionem ostendendi magnitudinem tui amoris, ac divitias bonitatis tuæ, & thesauros misericordiæ tuæ. Parum fuit amori tuo, fieri hominem, nasci infantem, pauperem, obsitum lacrimis, subditum nostris miseriis; quando etiam voluisti videri peccator, & in sanctissima Carne tua suscipere remedium peccati, quod tam longè abest à te, ut si posses peccare, Deus non esses.

*Christus ut
salvet nos,
non horret
trahari, ut
peccator.*

III. Et quid hoc est rei, ô vita animæ meæ! si tantum abhorres à peccato, quomodo sustines te videri peccatorem? Fæditas peccati abominabilem facit infernum; & macula eius, quam habemus in anima, separat, ô Deus meus, à te & à cælo. Quomodo ergo tu, divine Salvator peccatorum, non tantum suffers, sed etiam quæris formam peccatoris, non modò nascendo, ut Filius peccatoris Adami, sed etiam subijciendo te proprio remedio, quo voluisti homines expiari à peccatis? Permittis te circumcidi, cum Sacramentum id fuerit ordinatum à te, ut eo peccatores profiterentur fidem in te Deum meum, & sic obtinerent remissionem peccati Originalis: & voluisti, ut ea professio fieret cum sanguine, quia nondum tuum effuderat; & peccatores id patiebantur, tanquam filii Adami, similes suo parenti. Sed tu, ô Puritas infinita, & verus Deus, qui es ipse supremus Dominus, in quem credimus, & cujus fide amoréque salvamur, es ipse misericordissimus Deus, qui mundat ac remittit peccata; quid habuisti causæ, cur acciperes remedium peccati? Amo te, Pelagus infiniti amoris: adoro te, Sipientia infinita: laudo & extollo tua consilia incomprehensibilia.

IV. Odisti peccatum, & amas peccatorem; & sustinet Amor tuus fieri te similem amato in pœna, quamvis careas culpâ: voluisti te obligare ad solvendas meas culpas, ut haberes causam

lam

fam subeundi pœnas, quas ego promerui, & in hoc majorem rationem habuisti mei remedii, quàm tui honoris. Tu, Divinum meum Bonum, es tam altus, ut malum non possit tibi appropinquare: tam purus, ut nullum peccatum te possit maculare: tam sanctus, ut nec figura, nec umbra peccati te possit incusare: & tamen tantopere discrepas à te ipso, tantopere amas, ut malis adire periculum tui honoris, quàm declinare meum remedium. Quid invenisti in me, Deus meus, ut tantum me ames? O infinite amor, sicut omnia fecisti propter te ipsum, ita amas excessivo amore solum propter te ipsum, Deus meus. Ut satisfacias tibi & ostendas, quo incendio flagret cor tuum, ad ultima extrema descendis, ut videaris esse, qualis esse non potes: ut cum te videro mihi similem per amorem tuum, cogitem te esse, qui es.

V. O magne Deus, inspector animæ meæ, quantum fuit necessarium ad illuminandas profundas tenebras meas, ad humiliandam stolidam dementiam meam, & revocandum me in bonam viam! quanto altior te video, & occupatior in humilitate mea, tanto magis intelligo, non minore virtute, perfectione, & excessu infiniti amoris, quem mihi exhibueris, potuisse erigi & sanari animam meam. O divinum speculum bonitatis, illumina oculos meos, ut videam me in te, & videndo me humiliem, humiliando tibi placeam, ac placendo novo splendore tuæ lucis adimplear, atque ita purificatus & illustratus amor meus occupetur totus in te, sicut tu totus occuparis in me. Si in te est notabilis magnitudo amoris, velle videri peccatorem, qui esse non potes; quàm intolerabilis erit superbia mea, delectari esse peccatorem, & videri non velle; delectari plagis, pro quarum sanatione tu fundis sanguinem; & erubescere, quòd me sanes; fugere omnem virtutem, & studere, ut videar qui non sum? sana, Domine, istam diversitatem adeò irrationabilem. Non possum negare, quàm foeda res sit peccatum, quandoquidem erubescere id in me videri; & è contrario tantum eo delector admittendo, ac si boni quid esset ac pulchri. Pudet castigari, ne videar malus; & delectat peccando meam facere voluntatem; morior pro recuperando honore, quando publicatur, qualis revera sum; neque alia in re magis occupor, quàm ut sim, qualem

Homo diligit peccatum, nec tamen vult haberi peccator.

K

pudet

pudet videri. O infernalis confusio! amo malum, ut id faciam, & per id peream; & nolo id sciri, ut salver. Me totum vincit inordinatus amor malorum meorum, quibus infeliciter delectationis gratia subiaceo; & odi foeditatem eorum, ne applicetur mihi remedium: estque tam malum ea sic odisse, quam est amare; quia amo ea, ne emender; & odi, ut diutius amem. Denique totum hoc oritur ex amore plagarum mearum, intima delectatione culparum mearum, & summa voluntate mei exitii.

*Homoplasia
facit oculos
hominum, quam
Dei.*

VI. Ex hac inordinatione, Deus meus, nascitur alia non minor. Credo, quod tu sis ita sublimis, & me videas: scio & experior, quam viles & miserabiles sint homines, qui me vident: intelligo, tuo iudicio vero condemnari me posse, humano verò posse potius perdi, quam sanctificari. Scio, Domine, me verè talem esse, qualis sum in oculis tuis, non autem qualis in oculis hominum. Scio etiam, quod meliorem facere me non possim; & cum omni hac certitudine, ac scientia, non erubesco in oculis tuis esse, qualis sum; & studeo in oculis hominum esse, qualis non sum, attestante mihi conscientia mea. Et quamvis in corde meo sit hæc inordinatio, ostento foris mansuetudinem corde intus vipereo: fingo honestatem cum desideriis inhonestissimis: simulo contemptum vanitatis, cum arrogantia superbissima: præfero zelum sanctum, opertum ambitione terribili: sanctifico vitia mea mantelo virtutum, & quando plagæ meæ videntur sanatæ, sunt maximè incurabiles. Omitto illud tempus, quo ita serviebam vitiis, & pravis inclinationibus, ut etiam non puderet me peccatorum, deridendo emendationem eorum; ac publicè profitebar meas miseras ac vitia, jactando ea, & habendo pro decore; surdus ad veritatem redarguentem mea mendacia, cæcus ad sanctitatem reprehendentem mea probra, sine respectu ac timore omnium, quæ me potuissent refrenare: quia gloriabar in meis vitiis, & in illis reponebam honorem ac vitam meam. Si quando, uti Christianus, cogebar quaerere sacra remedia, relinquebam vivas radices, ne unquam deessent mihi initia perditionis, quam miser amabam præ salute animæ meæ.

VII. O divina misericordia, quæ scis hæc omnia, & vides ^{Oratio} dum pro me pateris, & jam nunc te paras ad me tolerandum, ex- ^{peccatoris.} spectandum & recipiendum; videris desperasse, quod ego sim permissurus curari mala mea, & ne condemner, ideo curationem suscipere in te. Absorbeat, ô Domine, animam meam nunc immensum hoc pelagus misericordiæ tuæ. Sed quid agam, quando submersa jam est inordinatis & miseris infelicitatibus? Tu scis, Domine animæ meæ, nulla re magis pulsari Divinas aures tuas, quàm malis meis. Olim similes clamores audiens, igne debebas civitates ac populos, & peccatores detrudebas ad inferos. Jam, Deus animæ meæ, liberas illos; in te recipis pœnas eorum; respicis eos misericorditer, piè remittis eis, juvas amanter, & ita unis te nobis, ut nostram similitudinem assumens virtute tuâ nos liberes. Cur igitur, bone Jesu, te pro me castigato, ego remaneo saucius? O viscera paterna, sanate hunc filium prodigum & infirmum. O vita superna, resuscita hunc mortuum. Tangat me virtus sanguinis hujus, ut omnes creaturæ te glorificent, cùm viderint potentiam & majestatem absconditam in hac tua infirmitate & infantia: intelligant, te in figura peccatoris, posse peccatores murare in Sanctos; & eos, qui sunt egentiores, in te esse ditiores, sanctiores, inflammatiores in tuo amore. Memineris, Domine, salvare multum, quia pateris multum, & amas multum; dixisti enim, quod, qui multum amat, multum ei dimittatur: & quia in te suscipis adedò acerbam pœnam, ut mihi dones dulcem amorem, dona copiosum, ut etiam multum mihi condones.

VIII. Quare, Domine, cum dolore & sanguine ac desiderio mortis accipis nomen Jesu, si surdus es ad meas voces, & clamores mei non movent, quos exprimunt necessitates meæ? priusquam nascereris, jubes ab Angelo præcipi, ut voceris JESUS, quia esses remissurus peccata. Ecce igitur, mi bone Jesu, peccatorem! Si, ut multum pati & remittere possis, octavo statim die incipis pati, ut ad patiendum, quantum desideras, sufficiat tempus; & Jesus vocaris, ut statim possis salvare; incipe in me, ô mi ESU. O Jesu, jam nihil à te petam: tu nôsti meam necessitatem: fac quod vis, mihi sufficit tuum sanctissimum Nomen. Cum Jesu ibo quocunque volueris. Scribam hoc sanctissimum Nomen in oculis ^{Affectus} ^{erga Nomen} ^{Jesu.}

meis, in auribus meis, in omnibus sensibus meis, & in corde meo. Fugiet à me infernus, tremant dæmones, cognoscar in cælo, & tu etiam, mi bone JESU, cognosces me. Possúmne ego esse peccator, quin tu sis verus meus Salvator? quid est ergo Jesus, nisi Salvator? O Jesu mi, ô mi Jesu, ô Jesu mi! Jesus, quia tu Salvator es; meus, quia ego peccator. Canta, ô peccatrix anima mea, *IESVS meus*: ne verearis ullam creaturam, imò nec ipsum: canta cum amore, dum est infans parvulus, sicut tu; ut plangas postea cum ipso, quando major erit in Cruce. Noli jam dicere de tuis peccatis, ne sis ei molesta; canta solùm id Nomen, quo tantopere delectatur.

IX. O Jesu, Jesu, Jesu! Jesu dulcis, Jesu suavis, Jesu pulcher, Jesu dives, Jesu amorose, Jesu Divine! Amice Jesu, Jesu Pater, Jesu Sodalis, Jesu Rex & mihi omnia! Quiesce Jesu in isto corde, quod te desiderat, & ardet tui amore. Si est cor peccatoris, tu Jesu Salvator es: si est cor humanum, etiam tu Jesu humanus es. Deficit, mi Jesu, lingua & cor in tua præsentia: & quia ego non possum, loquatur amor meus, ô mi suavissime Jesu: vel loquere tu, ut audiam, & te cognoscam, ô mi dulcissime Jesu!

O Mater Jesu, tam dives cum Jesu, dita cum illo inopiam meam. O cælestis Curia Domini Jesu, quæ non habes majus bonum, quàm illum, recipe me in Societatem tuam, ut potiar & gaudeam semper meo Jesu. Amen.

ÆRUMNA VIII.

Persecutio Herodis & Exilium.

I.



Christus Dominus noster spatio triginta annorum edidit perfectissima virtutum exempla, tacendo interim cælestem suam doctrinam, quam sub finem vitæ, verbo, opere & passione suâ erat mundo propalaturus, ut eo modo veritas Evangelica fieret clarior, & quatenus repugnabat naturæ ac sensui, gratior ac sapidior; doctrina verò carnis & mundi manifestior, & humana tepiditas esset inexcusabilis. Sicut enim errores humani non poterant corrigi, ac revocari in

via